

## 1344-1344- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Podium Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis apud Podium celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · XLIII° ·

### **Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: Quod de beata Martha venerabili Christi hospita fiat per totum ordinem festum simplex in die octavarum beate Marie Magdalene, qua die ipsa beata Martha dicitur in domino quievisse; et quod de beatis martyribus Felice, Simplicio, Faustino et Beatrice die · iii° · post festum Iacobi apostoli fiant tres lectiones; et magister ordinis pro beata Martha de officio providebit.

Item inchoamus hanc: Quod de beata Elisabeth fiant per totum ordinem tres lectiones illa die, quo antea fiebat memoria de eadem; et magister ordinis de officio providebit.

Item inchoamus hanc: In capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur: ipse prior provincialis vices obtineat supradictas, addatur statim sic: ordinacionem vero, nominaciones et precepta, que et quas fecit, et sentencias, quas tulit in capitulis generalibus vel in conventibus prefatus magister ordinis mortuus vel amotus, in suo labore permaneant, usque ad rumores certos habitos de proximo sequenti capitulo generali. De ordinacionibus, monitionibus, sentenciis et preceptis priorum provincialium in provinciis, in quibus, dum viverent vel regerent, prefuerunt, idem fiat, donec de sequenti capitulo provinciali conventus habuerint certa nova. Et hanc volumus medio tempore observari.

Item inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris conventionalis, ubi dicitur: si vero infra mensem non elegerint vel postulaverint, prior provincialis conventui provideat de priore, addatur statim: quod si die ad eligendum statuta priorem infra tercium scrutinium inclusive canonice non elegerint, que quidem tria scrutinia, antequam ad alia divertant, et ante horam prandii fiant, ad priorem provincialem vel eius vicarium generalem eo ipso devolvatur provisio de priore; quam facere debebit de discretorum fratrum consilio et assensu. Et hoc ipsum, scilicet de non multiplicandis scrutinis ultra tria observetur in electione socii conventus in die tractatus super mittendis ad generale vel provinciale capitulo eligendi. Quod si secus actum fuerit a quibusdam, privati sint socio illo anno, et nichilominus per priorem provinciale et diffinitores capituli provincialis rigide puniantur.

Item inchoamus hanc: In capitulo de provinciali capitulo, ubi dicitur: capitulo autem provinciale appellamus priores conventionales cum singulis sociis et cetera et predicatores generales, addatur: et omnes magistros in theologia et bacalareos, qui in studiis generalibus, in quibus conferri solet licencia in facultate theologica, legerunt sentencias vel in posterum sunt lecturi.

Item inchoamus hanc: Quod a septuagesima usque ad dominicam in passione et ab octava pasce usque ad dominicam ante rogaciones fiat singulis sabbathis in conventibus officium de beata virgine, sicut in aliis sabbathis ab octava epiphanie usque ad septuagesimam, et a deus omnium usque ad adventum fieri consuevit, quantum ad alleluia dicendum vel non dicendum, proprietate temporum observata, de officio beate virginis in sabbatis a conventu in choro fiendo in locis debitis annotetur.

Item inchoamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali ceterisque nostrarum constitutionum capitulis, ubi provincia Saxonie nominatur, deleatur: Saxonie, et dicatur: Theutonie inferioris.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur Tres de ipsis electoribus aliis ab electo etc., deleatur totum usque ad locum illum, ubi dicitur: provincialis autem prior etc., et dicatur sic: quod si ordo magistrum non habuerit, ipsum electum confirmandi vel infirmandi et ad suspcionem dicti officii compellendi vicarius ordinis habeat potestatem. Et infra ubi dicitur: in hoc casu tantum, deleatur et dicatur: consimiliter. Et hec habet duo capitula.

Item approbamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: Nullus recipiatur infra · xviii · annos, addatur statim sic: nec quicumque illegitime natus nisi de prioris provincialis licencia speciali; si vero illegitime natus ad ordinem receptus fuerit et dispensatum fuerit cum eodem, quod possit esse prior, non propter hoc fiat diffinitor capituli generalis aut provincialis vel vicarius provincialis nec predictor generalis nec elector magistri ordinis absque magistri ordinis licencia speciali. Et habet duo capitula.

Item approbamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: non possint habere officium prioratus vel supprioratus vel lectoratus, addatur statim post et dicatur sic: nec possint fieri diffinitores generalis vel provincialis capituli nec predicatores generales nec magistri ordinis electores. Et hec habet duo capitula.

### **Iste sunt declaraciones.**

Declaramus hanc: Quod constitucio de apostatis, de non recipiendo scrutinio, solum extendat se ad illos apostatas, qui post edicionem dicte constitutionis ad ordinem redierunt.

Item. Approbacionem de illegitime natis, quod non fiant diffinitores capituli generalis aut provincialis cum suis clausulis et addicionibus volumus intelligi de illis dumtaxat, qui post edicionem huius approbacionis ordinem sunt ingressi vel, si erant in ordine, nichilominus cum eis in prefatis nondum fuerat dispensatum.

Item declaramus hanc: Quod illegitime natus non potest esse supprior nec prioris vicarium in aliquo conventu, priore illius conventus mortuo vel amoto, nisi cum eo fuerit dispensatum.

### **Iste sunt ordinaciones et admoniciones.**

Cum iuxta beati Pauli sentenciam spiritualem milicie Christi militem non liceat secularibus se negotiis implicare, districione, qua possumus, inhibemus fratribus universis cuiuscumque gradus existentibus, ne ambasciatas aut legaciones quascumque gerendas suscipiant sine sui prioris provincialis vel eius vicarii generalis licencia speciali; que licencia absque utili, urgente vel honesta causa, iudicio prioris provincialis aut sui vicarii minime concedatur, et tunc cum religioso socio, provido et maturo. Imponentes prioribus provincialibus ac generalibus vicariis eorumdem sub pena absolucionis a suis officiis, ut ipsi pena graviori culpe debita puniant, ambasciatas vel alias legaciones super brigiosis negotiis admittentes; statuentes pena puniri consimili omnes et singulos fratres, qui legacionem vel ambasciatam ad Romanam curiam suscipere presumpserint sine expressa magistri ordinis licencia petita et obtenta. De aliis vero ambasciatis, ex quibus nullum potest suboriri periculum, poterit se frater intromittere et eas suscipere de sui prioris conventionalis licencia, communicato consilio discretorum, si prioris provincialis haberi non possit copia bono modo.

Item. Cum predicatorum unitatis et pacis guerrarum dissidia et anfractus pre cunctis debeant declinare, cum hec innumera salutis animarum et corporum discrimina committantur, necnon exinde conventuum subversio sit timenda, prohibemus fratribus universis, ne de principum aut aliorum quorumcumque guerris se quomodolibet intromittant, et volumus contrarium facientes per suos superiores, postquam de hoc legitime constiterit, carceri mancipari.

Item. Cum ad inquisidores heretice pravitatis pertinere noscatur hereticos et errantes quosque ad catholice fidei unitatem atque sacrosancte ecclesie obedienciam non minus exemplo vite quam verbo, aliisve modis reducere, propter quod seipsos debent singularem formam obediendi ceteris exhibere, volumus et ordinamus, quod inquisidores prefati sicut ceteri fratres ordinis teneant superioribus ordinis sive conventuum, ad quos pertinent vel aliquociens declinabunt, in omnibus, que directe suum non concernunt officium, obedire; ceterum, ne fratres quoscumque ad villam vel extra conventum possint propria auctoritate mittere nec sibi socium deputare nec sibi socium aliquem assumere sine prioris provincialis vel conventionalis, aut vices eorum gerencium licencia et assensu, imponentes exacte prioribus provincialibus eorumque vicariis generalibus, ut si quos inquisidores aut eorum vicarios defectuosos in aliquo invenerint, punire eos non omittant, secundum quantitatatem et exigenciam suorum defectuum aut culparum, eciam per amacionem ab officio inquisitionis, si expediens iudicaverint de consilio discretorum; presertim cum hoc eciam possint virtute privilegii cuiusdam super hoc ordini nostro indulti, cuius tenor talis est: Illos vero ipsius ordinis fratres, qui ad predicandum crucem vel ad inquirendum contra pravitatem hereticam seu ad alia huiusmodi negotia sunt vel fuerint ubique a sede apostolica deputati, tu magister fili, tuique successores removere seu revocare penitusque transferre, ipsisque, quod supersedeant, iniungere, aliosque substituere cum expedire videritis, licite ac libere valeatis, et in eos, si contravenerint censuram ecclesiasticam exercere, ac quilibet prior provincialis vel eius vicarius eiusdem ordinis idipsum in sua provincia circa fratres sui ordinis, quibus ab eadem sede similia contigerit in illa committi, facere possit, non obstantibus aliquibus litteris vel indulgiis apostolicis impetratis, vel eciam in posterum impetrans, que de hoc non fecerint mencionem.

Supradicte autem ordinacioni et admonicioni adiicimus, quod priores provinciales magistro ordinis denuncient, si quos inquisidores aut vicarios eorumdem invenerint notabiliter deliquisse. Volumus tamen et imponimus prioribus conventionalibus et vicariis eorumdem, ut ipsos inquisidores pertractent et recipiant reverenter, favorabiliter et benigne, eisdem de una camera pro se, socio suo et uno famulo, prout melius et commodius poterunt, providendo; caventes attente, ne inquisidores ipsos in hiis, que ad inquisitionis pertinent officium, impedian vel perturbent.

Item. Cum inter cetera diabolice sevice iacula crudelissima sit lingua in aliena et precipue fraterne fame lesionе sive patulis infamacionibus sive clandestine detractionis, delacionis, seu informacionis vagitibus resoluta, cupientes omnia tela nequissimi ignea extinguerent in ordine isto sancto, sub pena talionis inhibemus, ne frater aliquis de alio fratre crimen dicat aut recitet cuicumque vel quibuscumque quacumque ex causa seu motivo, nisi posset probare et in lucem deducere, preterquam prelato suo, cum prodesse valeat et debeat non obesse, et tunc quantum testimonio conscientie sue verum esse iudicaverit, quod proponit. Et ut hoc sedulius et firmius observetur, volumus, quod priores provinciales ac conventionales, nisi excessum tam execrandum, mox ut ad ipsorum noticiam pervenerit, nec pena pretaxata indilate puniverint, a suis officiis absolvantur. Premissis adiacentes, quod si quis frater penam seu punitionem inventus fuerit fratri alteri obiecisse, puniatur indilate, ac si culpam, propter quam pena talis imponitur, obiecisset.

Item. Cum sine vigilanti et sollicita educacione iuvenum ad ordinem receptorum vix aut numquam iuvenes ipsi ad melioris vite et sciencie frugem surgant nec ordini suo fructum ferant expectatum, quinimo ex incuria tam circa ydoneitatem recipiendorum, quam circa informacionem debitam receptorum, iam cernimus in ordine nostro multiplicari fratres ydiotas, deordinatos, scandalosos, proh dolor, et rebelles materne sue religionis latera vel viperina progenies disrumpentes, mandamus prioribus provincialibus ac sub pena absolucionis ab officio provincialatus iniungimus, ut circa recipiendorum sufficienciam tam in natalibus quam in moribus, quam in scientia cautelam adhiberi mandent et statuant diligentem. Insuper et noviciis aliisque iuvenibus iam professis, sive in propriis, pro quibus recepti fuerint, sive in aliis sue provincie conventibus, si eque bene in propriis quantum ad religionem, ceremonias ordinis atque scienciam non valuerint educari de convenienti maturo et scientifico informatore provideri faciant, qui circa iuvenum ipsorum, prout cuilibet, expedire viderit facultati seu capacitatii, disciplinam et erudicionem versetur iugiter et insistat, nec in aliis officiis ab hoc opere distractoriis

occupetur. Volentes, quod in casu, in quo iuvenes ad extraneos conventus erudicionis causa missi fuerint moraturi, conventus, pro quibus ad ordinem sunt recepti, eisdem teneantur de necessariis preterquam de viciualibus providere.

Item. Cum bonorum fratribus appropriatorum reservacio et dispensacio per eosdem fratres facta sine scitu et licencia suorum conventionalium prelatorum proprietatis vicium sapere videatur, insuper et ad hoc compertum sit subsequi expensarum excessus, combinaciones inutiles et discursus, unde finaliter scandala et pericula statui nostro graviter adversancia generantur, imponimus prioribus provincialibus universis, ut ipsi super hoc sedule vigilant et attente et observari faciant per priores, quod videlicet fratres omnes bona ad ipsos pertinencia sine presidencium suorum speciali licencia non dispensem.

Item. Cum maximus doctor et precipuus sanctus Thomas supra saniorem, planiorem et tuciorem sacre scripture et sanctorum doctorum necnon et magis approbatorum philosophorum intellectum et sensum doctrine sue fundamenta tanquam sapientissimus architectus collocaverit, ad quod infallibiliter sequitur doctrinam illam casum pati non posse, quamdui scriptura sacra, doctrina sanctorum ac philosophorum commune et rectum naturalis luminis iudicium sequencium ab inconcussibili non excedit firmitate, et intellexerimus nonnullos in nostro ordine legentes ad hanc vaniloquii et curiositatis stulticiam devolutos, ut spreta iam salubri solidaque doctrina peregrinis doctrinis et variis abducantur, adeo ut eciam ipsam veritatis doctrinam audeant ausu temerario frivolis laceracionibus improbare, mandamus prioribus provincialibus, ut si quos huiusmodi deinceps invenerint, omni lectione simpliciter eos privent.

Item. Cum fervor iuvenilis etatis ad malum adolescenciam reddat pronam, nisi ipsum cohbeat rigoris frenum ac regula discipline et adolescens perverse morigeratus a via sua mala, cum senuerit, non recedat, unde graves tribulaciones in ordine pullulant et insurgunt, omnibus et singulis rectoribus ordinis imponimus et eorum super hoc conscientias oneramus, ut si quos habeant iuvenes studentes vel non studentes, audaces, procaces, presumptuosos, rebelles, inquietos et vagos superioribus obedientiam, senioribus reverenciam debitam non ferentes, aut in studio notabiliter negligentes, tales humiliare et eorum procacitatem retundere et effrenacionem cohercere ac defectus alias prefatos punire studeant per penas graves eisdem sine misericordia infligendas. Volumus eciam et mandamus, ut priores provinciales in suis capitulis provincialibus necnon in visitacionibus conventuum contra tales iuvenes insolentes secundum qualitatem et quantitatem culparum penas convenientes inveniant et statuant atque compellant eas inviolabiliter observari. Et ubi compererint inter tales conspiracionis vel colligacionis cuiuspam ligamentum, sine mora colligaciones impietatis dissolvant eosque dispergant per conventus varios, absolutos a studiis et penis aliis debitis puniendo. Si qui vero senes vel fratres alii, cuiuscumque gradus vel condicionis existant, talibus iuvenibus indebitum favorem prebere aut illos ad temeritates huiusmodi animare vel eos in ipsis fovere aut eorum puniciones impedire fuerint deprehensi, tanquam ordinis destructores penis consimilibus puniantur.

Item. Ordinaciones immediate in precedenti capitulo generali Parisius celebrato editas primo de prioribus provincialibus provincias suas exeuntibus, quod vicarium instituant cum addicione hac, quod non solummodo unicum vicarium generale provincie sue relinquant, sed ultra hoc secundum, · iii ·um et · iv ·um fratres ad hoc ipsum ydoneos, quorum quilibet vicarie in solo illo casu fungatur officio, in quo vicarium sibi immediate previum morte preveniri contingeret vel alias legitime impedi<sup>1</sup>.

Item. Aliam, qua per preceptum cavitur, ne frater quicumque de practica medicine vel chirurgie inter seculares se intromittat, nisi forte de sui prioris licencia speciali; item preceptum, quo magistris et baccalareis Parisiensibus inhibitetur, ne pitancias aut convicias faciant ulla, nisi forte ipsi magistri unam tantum pitanciam modicam in die aule sue occasione suorum scolasticorum actuum quorumcumque et tunc solis fratribus, non admissis secularibus, cum duabus adiectionibus, que sequuntur: videlicet, quod non ratione sermonis, et quod sicut non per se ita nec per alium pro aliquo ipsorum fiant, volumus sub precepti huius vinculo permanere impositionem factam in clausula finali dicte ordinacionis prioribus provincialibus de expensis lectorum et studencium ratione actuum scolasticorum eis incumbencium per ipsos priores provinciales in suis provinciis efficaciter cohercendis, mandamus firmiter observari<sup>2</sup>.

Item. Aliam, qua districte impositum fuit prioribus provincialibus et capitulis provincialibus Grecie et Terre sancte ac vicariis eorumdem nec non et vicario generali societatis fratrum inter gentes peregrinancium propter Christum de fratribus evagantibus arctandis et arctacionem non ferentibus incarerandis, atque de fratribus societati episcoporum deputatis, ne soli dimittantur, remaneant vel incedant<sup>3</sup>.

Item. Preceptum de bonis seu rebus fratrum apud personas, que nostre religionis non sunt, non habendis, ponendis vel reservandis has, inquam, tam ordinaciones quam precepta quantum ad singulas sui clausulas observari iniungimus et legi ex integro, prout in actis prenotati generalis capituli Parisiensis continentur, quocienscumque lecta fuerint acta ista<sup>4</sup>.

Item. Serenitati conscientiarum fratrum et paci volentes, quantum cum deo possumus, providere, prohibemus prioribus conventionalibus ac vices eorum gerentibus, ne in suis conventibus preceptum seu precepta presumant

<sup>1</sup> Cf. supra pag. 286 l. 4 sqq.

<sup>2</sup> Cf. ibid. l. 10 sqq.

<sup>3</sup> Cf. supra pag. 287 l. 6 sqq.

<sup>4</sup> Cf. supra pag. 289 l. 8 sqq.

facere, nisi de discretorum fratrum consilio et assensu, et quod precepta sic facta presidentes ipsi ea facientes primitus in scriptis ea redigant et coram conventu legi faciant, ad minus quolibet mense semel, quod si in preceptis faciendis premissorum aliquid fuerit pretermissum, nolumus precepta illa in aliquo obligare nisi duntaxat in casu, in quo frater examinaretur iuridice de crimine vel delicto.

Item. Cum non sine gravi ambitionis vehementis nota et sine ordinis infamacione, que vere obediencie filio obviant et repugnant, frater non possit per personas extra sui ordinis obedienciam constitutas promocionem aliquam procurare vel facere procurari, sub pena privacionis vocis et omnium graciarum ordinis inhibemus, ne frater quicunque gradum, statum vel promocionem sibi per personam seu personas extra nostre religionis obedienciam positas procurari faciat vel procuret.

Item. Cum intellexerimus, quod in provinciis quibusdam fratres aliqui lectiones sollempnium conventuum tenuerint et teneant annis quam pluribus in multorum aliorum fratrum eque sufficiencium preiudicium et verecundiam, volumus et ordinamus, quod nullus frater ultra quatuor vel quinque annos continuos lectoriam alicuius conventus teneat, si eque sufficiens pensatis omnibus in eadem provincia habeatur.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne frater, cuiuscumque condicionis aut gradus existat, ad Romanam curiam accedat vel de suo conventu iter arripiat cum intencione ad Romanam curiam accedendi, nec in eadem curia stet sine licencia eiusdem magistri ordinis speciali, de qua per litteram magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem, et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, voce et omnibus graciis ordinis sit privatus, et nichilominus sentenciam excommunicacionis ipso facto se noverit incurrisse. Quam sentenciam excommunicacionis dictus magister ordinis coram diffinitoribus protulit iuridice in diffinitorio de diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sentencia sibi soli retinens et reservans.

Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Concedit eciam magister ordinis priori provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum negotiis viderit expedire; postquam vero fratres de licencia, prout premittitur, curiam intraverint, infra tres dies a procuratore ordinis statuta et ordinaciones in curia factas de cortesanis teneantur petere per preceptum.

Item. Mandamus et precipimus in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant infra sequens generale capitulum fratri Rostagno de Aceduna, procuratori ordinis in curia Romana, pro qualibet provincia tres florenos pro anno presenti, et preteritis annis illi, qui non satisfecerunt, infra natale domini proxime futurum satisfacere teneantur. Adiuentes sub eodem tenore precepti, quod duobus fratribus, scilicet fratri Albano Thome et Bertrando Bonerii, qui urgente necessitate negotiorum ordinis in curia gerendorum eidem procuratori nuperime sunt adjuncti, mittat quilibet prior provincialis infra sequens capitulum generale tres florenos, quibus duobus fratribus priores provinciales et conventuales omnium fratrum curiam Romanam adeuncium culpas in casu, in quo pro culpis vel alias causas, si propter alias ad dictam curiam se conferunt, ceteraque tangencia facta et negocia, propter que curiam petunt, scribere sub sigillis propriis teneantur, et procuratoria sufficiencia ad comparendum in omni iudicio coram iudice quilibet procuratori ordinis mittant et fratribus supradictis.

Item. Mandamus ac imponimus omnibus prioribus provincialibus et conventionalibus ac vicariis eorumdem, ut cum omni diligencia perquirant et perquiri faciant apostatas nostri ordinis, de quibuscumque provinciis aut conventionalibus existentes, inventosque capiant seu capi faciant ac carcerali custodie mancipent, secundum suorum demeritorum exigenciam puniendos, siquidem quoad hoc magister ordinis committit prefatis prioribus plenarie vices suas.

Item. Volumus ac omni districione, qua possumus, mandamus et iniungimus prioribus universis tocius nostri ordinis, quatenus septima die maii quilibet in suo conventu solempnem missam de spiritu sancto celebrari et cantari faciat cum omni devocione ab omnibus fratribus pro domino nostro summo pontifice, de cuius dignissima sanctissima persona die prenotata ecclesie sancte sue ac ipso ordini divina clemencia de clementissimo propicioque patre et patrono providit clementer, quam missam, modo et die, quibus premittitur, imponimus et mandamus dici et celebrari annis singulis, quamdiu beatissimum patrem ipsum populo suo et nobis sanctitatis sue affectissimis cultoribus pater misericordiarum conservaverit in hac vita, ac post felicem eius decessum die sui obitus perpetuis temporibus fiat in singulis conventibus tocius ordinis nostri annis singulis eius anniversarium, sicut pro magistris ordinis per totum ordinem fieri consuevit.

Item. Imponimus et mandamus prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, ut ipsi privilegiorum papalium transcripta totum ordinem tangencium sub manu publica procuratori ordinis in Romana curia quamcivius mittere non omittant.

Item. Volumus et ordinamus, (quod) transcriptum bulle indulgencias in festo beati Thome doctoris eximii concessas continentis, a singulis diffinitoribus huius capituli ad sua provincialia capitula et sociis conventuum singulorum ad suos conventus a provinciali capitulo, omni excusacione postposita, fideliter deportari.

**Iste sunt absoluciones.**

Absolvimus hos priores provinciales: Lombardie inferioris et facimus ibi vicarium fr. Andream de Saxo, inquisitorem Vincentinum, donec dicta provincia priorem provincialem electum habuerit, et presens extiterit in eadem.

Regni Sicilie et facimus ibi vicarium fr. Nicholaum de s. Victore, inquisitorem terre Laboris, donec dicta provincia priorem provincialem electum et confirmatum habuerit, et presens fuerit in eadem.

Ungarie et facimus ibi vicarium fr. Nicholaum, priorem Iauriensem, donec dicta provincia provincialem electum et confirmatum habuerit, et presens fuerit in eadem.

Polonie et facimus ibi vicarium fr. Stanislao, inquisitorem Cracoviensem, donec dicta provincia provincialem habuerit electum et confirmatum, et presens fuerit in eadem<sup>5</sup>.

Provincie Provincie et facimus eum vicarium in eadem provincia, donec dicta provincia electum habuerit priorem provincialem et confirmatum, et presens fuerit in eadem; et facimus eum lectorem in conventu Avignonensi; et volumus et mandamus vel ordinamus, quod predicti provinciales absoluti ad eadem officia in eisdem provinciis isto anno nullatenus resumantur.

Absolvimus hos priores de provincia Provincie: Tarasconensem, Podiicerdani, Barchilonie, Arelatensem, Grassensem. Et volumus et ordinamus, quod dicti priores absoluti non resumantur ad eadem officia in eisdem conventibus isto anno.

#### Iste sunt penitencie.

Fratribus omnibus et singulis conventuum Marsiliensis, Grassensis, Aurasicensis et Tholoni, qui vocem habuerunt in tractatibus conventuum predictorum hoc anno, iejunium · iii · dierum in pane et aqua imponimus per presentes in virtute sancte obediencie precipientes eisdem, quatenus dictam penitenciam faciant infra tres septimanas, postquam ad ipsorum noticiam pervenerit penitencia supradicta.

Item. Fratrem Bartholomeum Martini omni voce privamus per triennium, nec volumus, quod possit esse prior, supprior vel vicarius in aliquo conventu usque ad tres annos, et nichilominus faciat penitenciam per preceptum, sicut illi, qui in presenti capitulo socio caruerunt, et hoc quia in conventu Aurasicensi vicarius existens tractatum fraudulenter anticipare presumpsit; et volumus ac eciam ordinamus, quod supprios non possint in socios eligi in quocumque conventu nisi in illo, in quo capitulum celebratur isto anno.

Item. Fratribus Rostagno Eraldi et Iordano Dregoli conversis in conventu Aurasicensi, qui fardellum prioris dicti conventus ad predictum conventum reduci fecerunt in grave secularium scandalum et fratrum grande periculum et iacturam, imponimus penam culpe debitam graviori, quam saltem per quindenam infra · iii · hebdomadas infra noticiam presencium facere compellantur.

Et fratri Petro de Vachonis imponimus et mandamus in virtute sancte obediencie, quod statim post istud capitulum ad dictum conventum Aurasicensem se conferat et diligenter inquirat, qui fratres dictis conversis imposuerunt aut eos induxerunt, ut tale facinus perpetrarent, et taliter puniat, quos in hoc invenerit delinquisse, quod ceteri fratres ad excessus tam temerarios non se laxent, et nichilominus de penis, quas imponet fratribus, quos culpabiles repererit in predictis, certificare quamcicius reverendum magistrum ordinis non omittat.

Item. Fratrem Simonem Comitis de provincia regni Sicilie, qui se vicariis reverendi patris magistri ordinis opposuit et eisdem in quam pluribus contrarius extitit et rebellis, absolvimus ab officio prioratus et omni vicaria, privamus eumdem voce et omnibus graciis ordinis, ad quas non possit restitui nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale; et nichilominus eum Beneventano conventui assignamus, parcentes eidem misericorditer a pena culpe graviori debita, quam incurrit propter suos ausus temerarios et rebelliones multiplices aliosque excessus suos graves, notorios et patentes. Imponimus insuper vicario generali dicte provincie regni Sicilie, quod diligenter inquirat complices dicti fratris Simonis in excessibus et rebellionibus supradictis et aliis quibuscumque et acriter puniat, quoscumque invenerit huius vie.

Item. Cum intellexerimus fide digno relatu fratrem Thomam de Neapoli, lectorem Neapolitanum, non solum contra doctrinam eximii doctoris sancti Thome, sed et multa periculosa frequencius docuisse, ipsum a dicta lectoria absolvimus, nichilominus imponentes eidem, ut articulos sibi per fratrem Nicholaum diffinitorem provincie regni exhibendos in scholis solempniter et publice revocet aut declaret<sup>6</sup>.

Item. Absolvimus priorem Bononiensem provincie Lombardie superioris, quia in iniuriam non modicam prioris provincialis simul et provincie Lombardie superioris duos fratres de provincia dicte Lombardie, superioris predicto conventui Bononiensi per provincialem predictum Lombardie superioris de iure et consuetudine dicte provincie superioris Lombardie assignatos recipere noluit, sed eos crudeliter et inhumane expulit de conventu; insuper et titulos cellarum duarum deputatarum studentibus dicte provincie Lombardie superioris per recolende memorie fratrem Barnabam patrem venerabilem quandam magistrum ordinis appositos irreverenter et impudenter abrasit, per hoc gestiens, ut videtur, dictam provinciam Lombardie iure suo, ordinantes, ut dicti studentes expulsi vel alii duo possint ibi mitti per provincialem Lombardie superioris uno anno ultra numerum consuetum.

Denunciamus fratrem Renericum de Scolaribus Romane provincie pluries et per plures in dicta Romana provincia vicarium institutum verum fuisse vicarium in eadem provincia, non obstantibus rationibus propositis per quosdam fratres illius provincie, quas nullas, inefficaces et frivolas reputamus. Intimantes fratribus universis reverendum patrem magistrum ordinis fratribus omnibus et singulis dicte Romane provincie penas omnes tam

<sup>5</sup> De fr. Stanislao cf. supra pag. 251 l. 17.

<sup>6</sup> De fr. Thoma de Neapoli cf. DENIFLE l.c. pag.614.

positivas, quam privativas, quas hiidem fratres incurrerunt vel incurrisse dicuntur propter inobediencias et rebelliones ipsorum ad vicarium memoratum vel alios superiores ordinis et prelatos misericorditer remisisse de diffinitorum consilio et assensu. Et imponimus et mandamus priori provinciali Romane provincie sepe dicte, quatenus favorabiliter et benigne pertractet et foveat dictos fratres eisdem de statibus, officiis et graciis providendo secundum suorum exigenciam meritorum, non obstantibus inobedientiis et rebellionibus et excessibus memoratis.

Concedimus provincie Francie unam domum ponendam, ubi priori provinciali et diffinitoribus capituli provincialis videbitur expedire.

Item. Provincie Tholosane unam domum ponendam in villa de Bagneriis diocesis Tarbensis.

Item. Provincie Aragonie domum unam ponendam, ubi provincialis et diffinidores capituli provincialis expediens iudicabunt.

Item. Provincie Hispanie unam domum ponendam ubi, prior provincialis cum diffinitoribus capituli provincialis expediens iudicabit.

Item. Provincie regni Sicilie duas domos unam in terra firma, ubi priori provinciali vel eius vicario et diffinitoribus capituli provincialis videbitur expedire; et aliam in insula, ubi vicario insule videbitur expediens, communicato plurium consilio discretorum.

Item. Provincie Ungarie duas domos ponendas, ubi prior provincialis vel eius vicarius generalis et diffinidores capituli provincialis expedire iudicabit.

#### Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Guillelmum Munerii de provincia Francie.<sup>7</sup>

Item, quantum nostra interest, assignamus ad legendum Parisius anno sequenti fratrem Petrum de Salgis de provincia Tholosana<sup>8</sup>. Item. Absolvimus priorem Neapolitanum et facimus eum lectorem in conventu beati Dominici de Neapoli.

Item. Assignamus ad legendum sentencias in conventu beati Dominici Neapolitano fratrem Benedictum de Campomellis de conventu Gaietano.

Item. Assignamus ad legendum sentencias in conventu Bononiensi fratrem Lupum Bononiensem de predicto conventu.

Item. Assignamus ad legendum sentencias in Montepessulano fratrem Guillelmum Imberti de conventu Tholoni.

Item. Assignamus lectorem in Compostella fratrem Lupum magistrum in theologia<sup>9</sup>, et mandamus priori provinciali et diffinitoribus capituli provincialis, quod ibi ponatur studium generale, quod assignacione solempnient studencium atque artistarum.

Committimus prioribus provincialibus aliarum provinciarum ac vicariis generalibus in iisdem, ut ipsi in studiis suarum provinciarum provideant de lectoribus et cursoribus seu lectoribus sentenciarum et magistris studencium, prout utilitati ordinis videbitur expedire.

Committimus reverendo magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalareis et cursoribus biblie nec non et magistris studencium ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis expediens iudicabit.

Revocamus omnes et singulos vicarios positos per quoscumque superiores ordinis in insula Sicilie et denunciamus, fr. Iacobum dictum Phicara de Messina factum esse vicarium per reverendum patrem magistrum ordinis in insula supradicta. Cui iniungimus et mandamus, quod ipse conventus dicte insule sollicite visitet, insolentes debite corrigendo, ac quod de lectoribus et studentibus in eadem ordinet, prout sibi secundum dominum honori ordinis videbitur expedire. Imponentes eidem, quod mittat unum studentem Parisius de dicta insula pro rata provincie regni Cicilie isto anno; et volumus ac eciam ordinamus, quod conventus dicte insule solvant collectam, sicut hactenus extitit consuetum, ita tamen, quod studentibus ad dictam insulam pertinentibus, sicut aliis studentibus eiusdem provincie fiat provisio de collecta supradicta.

Item. Denunciamus fratrem Iacobum de Nicosia, priorem monasterii sancte Katharine, et fratrem Iacobum Fraxia inquisitorem insule per reverendum patrem magistrum ordinis de diffinitorum consilio et assensu esse a suis officiis absolutos, et fratrem Petrum Perronum de Augusta per eumdem patrem in dicto monasterio sancte Katharine priorem et inquisitorem dicte insule institutum.

Item. Denunciamus fratribus universis, reverendum patrem magistrum ordinis de diffinitorum consilio et assensu imposuisse et mandasse priori provinciali regni Cicilie, qui erit pro tempore, quatenus fratrem Nicholaum dictum Citerelli de Monopoli inquisitorem instituat in regno Cicilie, cum dictus frater ab inquisitionis officio amotus fuerit indebet et iniuste.

#### Ista sunt suffragia.

Suffragia pro vivis · xlivii .

#### Ista sunt suffragia pro defunctis.

Suffragia pro defunctis · xiii .

<sup>7</sup> De fr. Guilelmo Munerii cf. supra pag. 291 l. 2.

<sup>8</sup> De fr. Petro de Salgis cf. supra pag. 283 l. 8.

<sup>9</sup> De fr. Lupo cf. supra pag. 200 l. 30; DENIFLE l.c. pag. 545.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos · vii · psalmos cum letania, et quilibet conversus · c · pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Letania et salve regina more solito dicatur.

Sentencias iudicium approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Brivensi provincie Tholosane, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem aliis frater, eciam si licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam · viam · festum penthecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione ad capitulum veniendi de conventu suo iter arripuerit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis aut capitulum generale.

Explicita acta capituli generalis apud Podium celebrati anno domini · m° · ccc° · xlippii° .

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; app. n. LXXXIX.